

Leoni P. M. XIII.
quingagesimum annum episcopo.



quinquies denos Leo iam per annos
Infulis frontem redimite sacris,
Orbe quem toto celebrare certat
Munere, votis,

Mentibus gratis populi piique
Principes, quem vel veneratur Afer
Vinculo turpi domini solutus
Barbariaque :

Nos quoque admittas, Pater et Sacerdos
Summe, Nursini sobolem Parentis,
Cui faves semper studio paterno
Cuique recludis

Splendidas aedes sapientiaeque
Sedem ab Anselmo bene nuncupatas,
Ut novas vires pietas fidesque
Hauriat inde!

Nos quoque admittas filios precantes:
Te diu servet Deus ac triumphos
Det tibi iuges et acuta fraudis
Tela retundet!

Tuque iam nobis benedic, rogamus,
Ut Deus prolem repleat Parentis
Spiritu multam niteatque in illa
Patris imago!

* * * O. S. B.

